

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2104

Auteur(s) : Rouen (chapitre cathédral)

Bénéficiaire(s) : Évreux, Saint-Taurin (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1257, 23 août

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Les doyen et chapitre de Rouen approuvent également les actes de l'abbé de Saint-Taurin et de l'archevêque.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Bonnin Théodore, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissey, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CCXVIII, p. 261-262.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, decanus et capitulum Rothomagense, salutem in Domino.
Noverit universitas vestra quod cum felicis recordationis Petrus, Dei gratia, condam Rothomagensis archiepiscopus, olim comparasset a Gilleberto de Plancheio, condam burgensi de Locoveris defuncto, viginti et sex libratas turonenses annui redditus super toto tenemento quod idem Gillebertus tenebat et habebat in villa et territorio de Locoveris, tam in feodo domini archiepiscopi Rothomagensis quam in feodo religiosorum virorum abbatis et conventus monasterii Sancti Taurini Ebroicensis, et dictum redditum nobis assignasset pro anniversario suo in ecclesia nostra Rothomagensi faciendo ; ac postmodum dissensio esset inter nos, ex una parte, et predictos religiosos, ex altera, pro eo quam nos faciebamus justiciam pro dictis viginti et sex libratis turonensibus annui redditus super domibus, pratis et possessionibus dictorum religiosorum quas ipsi postmodum comparaverunt a Radulpho de Plancheio, filio et herede dicti Gilleberti, apud Locumveris, tandem, mediante consilio et ordinatione venerabilis patris O., Dei gratia, Rothomagensis archiepiscopi, dicta dissensio conquievit sub hac forma : Quod dictus dominus archiepiscopus nobis solvet et solvere tenetur decem et octo libratas annuas turonenses, et predicti religiosi nobis solvent et solvere tenentur apud Rothomagum, vel procuratori nostro seu attornato, octo libratas annuas turonenses ad festum sancti Remigii, sub pena unius marce argenti, si dicti religiosi defecerint in solutione predicte pecunie in termino antedicto ; rato nichilominus manente pacto principalis obligationis pro viginti et sex libratis antedictis. Et ad dictas octo libratas turonenses annuatim solvendas ad festum supradictum, dicti religiosi se et suum monasterium per patentes litteras suas nobis obligarunt bona fide et sine exceptione. Nos vero predictas octo libratas quas singulis annis percipere debebamus apud Locumveris in feodo dictorum religiosorum et quicquid juris habebamus in feodo eorumdem apud Locumveris in domibus, pratis, gardinis, terris, redditibus et possessionibus eorumdem ubicunque apud Locumveris eisdem religiosis remittimus et quitamus pro octo libratis turonensibus annuis quas percipiemos et percipere debemus annuatim ad festum supradictum apud Rothomagum a religiosis antedictis, secundum quod in litteris quas ab eisdem religiosis super hoc habemus plenius continetur. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum presentibus duximus apponendum.

Datum in crastino octabarum Assumptionis beate Marie Virginis, anno Domini M^o CC^o quinquagesimo septimo.